

## Sanctis

plures iudeorum occidisset reperti sunt decem viri qui dixerunt i.  
 Nolite occidere nos quia habemus thesauros in agro frumenti et  
 ordei et olei et mellis: et legitur quod non interfecit eos. Ysmahel inter  
 pretatur assumens exauditione dei et significat dyabolum qui peccato-  
 ribus sibi seruientibus hoc damnum facit quod reddat eos indignos  
 exauditione diuina: iste occidit omnes qui non habuerunt thesaurum  
 frumenti ordei olei et mellis. Per istum vero thesaurum dei filius ex-  
 primitur. Ipse enim est thesaurus frumenti per mundam humanitatem  
 ipse est thesaurus ordei per passionis asperitatem: ipse etiam est thesau-  
 rus olei ac mellis per penetratiuam et dulcem diuinitatem: ipse inquam est  
 thesaurus frumenti et tritici per mundam humanitatem: sicut enim ex  
 frumento siue tritico mundus et albus panis conficitur: sic et sua hu-  
 manitas munda fuit et immaculata ab omni peccato siue originali siue  
 actuali. Ipse est thesaurus ordei per passionis asperitatem: sicut enim  
 ordeum acitas habet aristas et tamen ex eo quedam decoctio fit que pituita  
 appellatur et est potus febricitantium ac infirmorum: sic et Christus in passione  
 sua multos aculeos dolorum sustinuit qui tamen per eandem passionem  
 suam infirmos ac tribulationum estum sustinentes eximie reficit et  
 consolatur. Ipse nihilominus thesaurus est olei ac mellis: sicut enim  
 oleum penetratiuum est et sicut mel dulce est ac conseruatiuum: ita et  
 Christus per diuinitatem suam omnes sensus ac medullas electorum penetra-  
 bit ac illuminabit: ipse etiam totam animam per semetipsum indulcorabit  
 et in beatitudine aseruat. Illi decem qui propter hunc thesaurum vite  
 aseruati fuerunt significat eos qui deorum precepta domini corde et opere  
 adimplent: hos dyabolus non potest occidere. **¶** De tercio  
 nota quod ager iste in quo iste nobilissimus thesaurus habet abscon-  
 ditus et ab infidelium oculis occultatus emendus est per omne id quod  
 possidet christianus. Totum enim quod possidemus debemus dare pro  
 regno celorum: qui si cognoscerent eum thesaurum ihesum christum omni  
 acceptione dignum illud proculdubio iudicarent. Beata uirginis maria per  
 spiritum sanctum inuenerat hunc thesaurum: unde et ipsa abiit per  
 desiderium illius et vendidit omnia que habuit et emit agrum istum  
 et regnum celorum. Vendidit enim bona temporalia propter summum  
 domum pauperibus ea largiter distribuendo: vendidit delicias et volu-  
 ptates huius seculi propter christum eas penitus detestando. Cantantibus  
 enim organis uirginis maria domino decantabat dicens. fiat cor meum et corpus  
 meum immaculatum ut non confundar. Vendidit etiam postremo  
 corpus suum tenerissimum durum martirium pro domino libentissime  
 sustinendo. Rogate carissimi dominum ut et nos agrum celestem laboribus  
 nostris ac elemosinis ita in presentium uita compemus ut ad possessionem  
 eius post hanc uitam pertingere mereamur. Quod nobis prestare deus.